

h) Quid est et quid significat?

Vd. *Cereus pasch.* (Bened. modus; decr. n. 4672 nota).

3) Quando extinguendus in processione?

Vd. *Process. SSmi. Regul.* (modus, decr. n. 4730).

CEROFERARII.

1) Ad Capitulum.

Vd. *Antiph.* (inton.; decr. 5141).

2) In missa.

Ceroferarii in Missa conventuali, quando decantatur Evangelium, cum cereis accensis assistere debent. n. 1597 ad 4 die 5. Sept. 1648.

Vd. *Thuriferarius* — quis?

3) In processione.

Vd. *Instructio Clem. §. XX* n. 1.

4) In Vesperis.

Vd. *Antiphona* (Intonatio, decr. n. 5111).

S. CHILIANUS M.

(Officium et Oratio.)

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: an festum s. Chilianus m. sit celebrandum cum sociis de communi plur. mm. vel sine sociis de comm. unius m.? S. C. resp.: Fiat Officium de comm. un. m. et dicetur oratio; *Infirmis*. n. 4044 (2do) ad 10 die 23. Julii 1736.

CHIROTECAE.

1) Dignitariorum et Canonicor.

Vd. *Annulus Canonicor. etc.* (decr. n. 4224); *Usus Pontifical.* (decr. n. 4585; 4593 ad 8; n. 4863).

2) Episcopi.

a) In benedictione cum SSmo.

Vd. *Bened. Episcopi cum SS. Sacramento* (decr. n. 5211 ad 4).

b) In Pontificalibus.

Episcopus non debet uti chirotecis,

nisi in iis functionibus pontificalibus, in quibus eisdem Episcopi utuntur. n. 3551 ad 14 die 13. Mart. 1700.

CHORUS.

1) Absentia, Praesentia, Distributio.

Archidiaconum haberi pro praesente (in choro) dum assistit Episcopo tam in Ecclesia s. Venantii quam in quocumque alio loco, in quo ipse Prior interveniat, vel intervenire soleat una cum Capitulo Ecclesiae Cathedr. n. 372 ad 1 die 15. Mart. 1608.

Nulla modo posse Canonicos lucrari distributiones quotidianas, nisi quando aliquis Canonicus vel ex officio vel de expresso Episcopi mandato in casu necessitatis, Confessiones Poenitentium audiret, dum recitantur in choro horae canonicae, et hoc tantum casu excepto; qui tantum adsunt, dum oratio pro Matutinis et horis cantatur, non lucrari licite distributiones; quidquid hactenus in contrarium servatum fuerit, potius abusus esse quam consuetudinem. n. 388 die 14. Junii 1608.

Dignitates et Canonicos non lucrari distributiones quotidianas, nisi in in choro, processioneibus, aliisque huiusmodi actibus *proprio habitu* Dignitatibus et Canonicis respective convenienti utantur. Si vero uti voluerint habitu Protonotariorum, non posse participare de distributionibus quotidianis, tanquam extraneos reputandos esse, eisque locum assignandum non supra nec inter Canonicos sed post Abbates (Caerem. Lib. I. c. XIII. circa finem). n. 602 die 7. Aug. 1821.

Canonicos non possunt exire de choro non expetita licentia ab Archidiacono. n. 3358 ad 5 die 7. Maji 1695; n. 3373 ad 3 die 17. Decbr. 1695.

Ad dubium: an debeant distributiones Canonicis, qui tempore hor.

canon. exeunt proprio motu a choro ad celebrandam missam? S. C. resp.: Episcopus utatur jure suo juxta decreta tam in hoc quam in iis, quae respiciunt disciplinam chori. n. 3597 ad 9 die 10. Sept. 1701.

Canonicus Theologus tempore lectionis semper est dispensatus a servitio chori. n. 3597 ad 11 die 10. Sept. 1791.

Ad dubium: an Primicerii Ecclesiae Colleg. Aquae vivae abesse possint a choro, audiendi causa Monialium seu Saecularium confessiones et dirigendi Confraternitates vel ex quacumque alia causa? S. C. resp.: Affirmative pro diebus, quibus tenentur interesse Choro. n. 4004 ad 5 die 24. Nov. 1831.

Privationem distributionum pertinere ad Archiepiscopum (Metrop. Hydrunt.) n. 4358 ad 7 die 7. Dec. 1771.

Canonicos Examinatores non lucrari distributiones quotidianas, quia examen potest fieri hora commoda extra tempus, quo tenentur assistere in choro. n. 339 ad 2 die 7. Mart. 1607.

FLORENTINA.

Ad preces Rmi. Archiepiscopi Florentini expetentis Indultum, cujus vigore Canonicus suae Metropolitanae Joseph Chieccchini incumbens constructioni Processus Ordinarii Servae Dei Reginaldae Tosetti participare valent de distributionibus Chorilibus, quamvis hac de causa Choro non intersit, S. C. rescripsit: „Non indigere, et detur Decretum in Neapolitana diei 23. Dec. 1827 quo declaratur: Dignitates et Canonicos ubique locorum existentes, qui construendis Processibus Ordinariis, vel Apostolicis operam dabunt, licet a Choro ea de causa absint, lucrari nedum quotidianas distributiones, verum etiam alias omnes quocumque jure, titulo et nomine, et quibusvis sub clausulis personale ser-

vitium exquirentes. Hoc autem Indultum locum habere iis tantum diebus, quibus conficiendis et adornandis Inquisitionibus incumbunt.“ n. 4795 die 27. Aug. 1836.

2) Accessus.

Congregentur omnes Canonici in Sacristia et induti consueto habitu canonicali, incipiant progredi versus Chorum, ordine praescripto in Caeremoniali (Lib. II. c. VI.) n. 1427 ad 3 die 24. Jan. 1643.

3) Cantus.

Vd. *Nativit. D. N.* (Officii cantus; decr. n. 4582); *Laudes.*

Decere, ut Canonici voce non impediti, alte canant in choro, coadjuvantes alios, et posse Episcopum illos, maxime eos, qui in hoc culpabiles sunt, ad id faciendum hortari. n. 172 ad 4 die 23. Nov. 1602.

Quoad Vesperas et Officium satis esse, si Canonici illud recitent alta, clara, intelligibili et destinata voce. n. 278 die 27. Jan. 1606.

Canonici Lignin. petierunt declarari, ipsos non teneri ad recitationem Officii in cantu plano in festis sol., prout Episcopus mandavit. S. C. resp.: Canonicos in hoc debere parere Episcopo. n. 1689 die 22. Nov. 1653.

Episcopum debere adherere iis, qui Officia divina *canere* volunt, quod est favorabilius Ecclesiae; quoad festa vero per constitutionem urbanam sublata, Canonicos teneri ad eandem solemnitatem prorsus peragendam, quo ante constitutionem festa quorumvis Sanctorum recolant. n. 1930 die 7. Sept. 1658.

Ad dubium: an omnes Horae canonicae sint cantandae singulis dominicis, festis aliisque diebus, quibus Officium sub ritu dupl. celebratur? S. C. resp.: *Servetur solitum.* n. 4235 ad 21 die 15. Sept. 1753.

Ad preces Capituli Cathedr. Derth.: ut in diebus ferialibus Vesperas persolvere liceat sine cantu;

Emus. et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. . . . rescribi mandavit: „Negative.“

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. n. 4924 ad 3 die 22. Maji 1841.

Canonici, Beneficiati, Capellani ac caeteri Assistentes in choro absterneant in posterum a Confabulationibus in choro nec non a praepropera divini Officii recitatione. n. 4063 ad 1 die 3. Aug. 1737.

4) Egressus.

Canonici Collegiatae s. Joan. Neapolis a choro exeundo veniam petere debent Primicerio et Punctatori causam egressus notam facere. n. 3430 ad 4 die 22. Junii 1697; n. 3445 ad 1 die 5. Oct. 1697.

Licentiam discedendi a choro absente Episcopo esse exquirendum a Praefecto ejusdem chori. n. 4063 ad 1 die 3. Aug. 1737. n. 4358 ad 19 die 7. Dec. 1771.

Ea, quae pertinent ad facultatem concedendi licentiam a choro exeundi et ab eo abesse, cum alterius substitutione in servilio chori, ad Archipresbyterum spectare. n. 2869 ad 4 die 26. Nov. 1878. Capitulares de choro exire volentes ab Archidiacono prima Dignitate et eo absente, a digniore ordine successivo, veniam petere debere. n. 1622 ad 1 die 11. Mart. 1651. Facultatem impertiendi licentiam Capitularibus recedendi a choro, dum ibi Divina persolvuntur, spetcare ad Vicarium gener. absente Episcopo. n. 1667 die 10. Maii 1653. Incepto Officio Capellanus de Massa non potest recedere de choro sine licentia majoris Canonici praesentis vel Chori Praefecti vel, quatenus nullus ex praedictis est in choro, absque licen-

tia dignioris, etiam quod esset de Massa, et absoluto Officio expectare debet Canoniorum recessum et interim stare detecto capite. n. 3083 ad 5 (2do loco), 18. Dec. 1660 n. 3232 ad 5 die 29. Maji 1694.

Primicerius Ecclesiae Colleg. Neapolis a choro exeundo causam egressus Punctatori notam facere tenetur extra chorum. n. 3430 ad 3 die 22. Jun. 1697.

Ad dubium: an et ad quem spectet dare nutum inchoandi divina Officia in choro eaque terminandi nec non veniam concedere iis, qui a choro quavis ex causa egredi volunt? S. C. resp.: Spectare ad Decanum (Metropol. Rhegii). n. 4321 die 11. Febr. 1764.

5) Habitus.

Canonicos caeterosque divinis Officiis in choro assistentes, decenti habitu talari nec non superpelliceo ac bireto indutos esse debere et contrarium abusum omnino abrogandum. n. 3199 ad 2 die 30. Julii 1689.

Vd. *Sedes Dignitat. et Canon. in choro* (decr. n. 809); *Canonici* (Insignia etc.); *Canonici* (habitus in choro); *Chorus* (absentia etc. decr. n. 602).

6) Initium et finis.

Cf.: *Episcopus* (off. init.) *Officium*.

Archidiaconi munus esse signum dare pro inchoando Officio divino, et antequam signum detur pro discessu a choro, nulli de Capitulo exire licere. n. 1622 ad 3 die 11. Mart. 1651; n. 3332 ad 1 die 29. Maji 1694; n. 4358 ad 17 die 7. Decemb. 1771.

Vicarius non est expectandus post datum signum in choro. n. 2237 ad 3 die 4. Aug. 1663.

In festivitibus minoribus absente Magistro Caeremon. spectat dare signum pro incipiendis Matutinis et Vesperis

ad Hebdomadarium. n. 2248 ad 3 die 4. Aug. 1663.

Dare signum in choro pro incipiendo Matutino et Vesperis spectare ad Hebdomadarium impedito Magistro Caeremoniarum, non autem ad primam Dignitatem. n. 2313 die 24. Januar. 1665.

Pulsato tertio signo pro vocandis Canonicis ad recitandum divinum Officium et non perventis Archipresbytero et alia Dignitate, non tenentur Canonici expectare. n. 3017 die 20. Mart. 1683.

Ad primam Dignitatem praesentem in choro spectare dare signum incipiendi et inchoandi divinum Officium et a choro exeundi, reliqua vero munia, ad regimen chori spectantia, ad Cantorem pertinere. n. 3288 die 30. Aug. 1692; n. 5209 ad 9 die 21. Junii 1855.

Primicerico Collegiatae Neapolis competit dare signum inchoationis et dimissionis Chori in Matutinis, horis, missis et vespis. n. 3455 ad 1 die 25. Jan. 1698.

7) Initium singul. horarum.

Hebdomadarius in choro non potest intonare initium horae sequentis, priusquam Sacerdos evang. s. Joannis terminaverit. n. 4233 ad 8 die 14. Apr. 1752.

8) Laici a choro removendi sunt.

Vd. *Presbyterium*.

9) Locus recitandi Officium.

Sine licentia Episcopi Capitulum non potest in casu aliquo recitare divina Officia extra chorum in aliqua parte Ecclesiae. n. 3103 ad 5 die 23. Mart. 1685.

Vd. *Chorus* (Modus recitandi).

10) Missae privatae tempore chori.

Vd. *Missae privatae Canon. tempore chori*. Decreta authentica.

11) Modus recitandi Officium.

Vd. *Preces* (genus.); *Antiphona B. V. M.*; *Lectiones* (modus etc.).

Apud Capitulum Cathedrale Civitatis Plebis pluribus abhinc annis usus invaluit omittendi recitationem Horarum Canoniarum, Sextae nimirum et Nonae voce Choralis post Missam Conventualem, easque recitandi submissa voce tempore ejusdem Missae varias ob causas: nimirum 1) quando Episcopus Pontificaliter celebrat, vel in Sede Pontificali Missae solemniter adstipit: 2) quando protrahitur servitium Chori ob prolixioris Missae, sive ob extraordinariam aliquam Functionem: 3) temporibus Adventus et Quadragesimae ratione Concionis. Quaeritur ergo:

1) An hujusmodi usus valeat continuari? et quatenus negative, quaeritur:

2) An valeat continuari de licentia Archidiaconi, seu (illo absente) de licentia antiquioris Canonici Praefecti Chori? et quatenus negative, quaeritur:

3) An saltem valeat continuari de licentia Episcopi?

Sacra autem Rituum Congregatio sub infrascripta die ad Vaticanum in Ordinario Coetu coadunata, omnibus mature perpensis, accurateque consideratis, ad relationem infrascripti Secretarii, rescribendum censuit; „Negative in omnibus, nec satisfieri Chori obligationi per privatam recensitam recitationem Sextae et Nonae tempore Missae Conventualis. Die 16. Martii 1833.“ n. 4699.

12) Obligatio Canoniorum.

Cf.: *Psalmi gradual.*; *Officium def.*; *Coadjutor Canon.* (residentia, decr. n. 306). Chorus (tempus).

Ob nimiam aëris inclementiam hyemali praesertim tempore, et glacierum ac nivium incommoda quum difficilis

admodum reddatur accessus ad Cath. Boven. Ecclesiam, atque ob maximam loci humiditatem non parum valetudini obnoxia sit diutina in illa permansio, Rmus. hodiernus Episc. haec serio perpendens, ac insimul habito respectu ad tenuitatem Praebendarum, id sumpsit consilii, ut iterum Chori servitium ad Sextiarias reduceret, uti ante fieri consuevit, nam a Praedecessore immediato in Sede sua Episc. ad Tertiarias servitium ipsum adactum fuisse comperuit. Nulla interim interposita mora S. C. E. P. S. Conc. Trid. interpretum supplex adivit idem Boven. Episcopus, factique seriem exponens religiosissime, renovatae consuetudinis quoad Sextiarias veniam insimul, et confirmationem exposcens. Ast quum ex recensitis, et exhibitis allegationibus compertum fuerit, S. Apostolicam Sedem alias Decretis S. R. C. Cath. ejusdem Capitulo benigne indulsisse, ut post Vesperas anticipare posset Matutinum cum Laudibus insequentis diei, ac deinde ut semel tantum in die ad Ecclesiam accederent Capitulares Horis Can. Matutinis non minus quam Vespertinis, ac Missae Convent. satisfacturi sine interruptione, ad eandem R. C. jam praeventam res omnis definienda, ordinandaque transmissa fuit. Emi. itaque ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi serio perpendentes in casu, de quo agitur, validissimas urgere rationes ad confirmandum Indultum a Rmo. Episcopo suae Cathedralis Capitulo concessum, ac insimul constabiliendam certam methodum a Capitularibus omnino servandam, quin essentialiter recederent ab iis, quae ab Antistite Oratore indignantur, in Ordinario Coetu subsignata die coadunati apud S. Mariam supra Minervam loco Palatii Apostolici Quirinalis de mandato SSmi., infra-scripto Secretario referente, statuerunt servitium Chorale a Capitulo Cath.

Boven., ut hic adnotatur, in posterum servandum esse, nimirum:

I. A Mense Novembri ad integrum Mensem Aprilis servitium Chorale a Capitulo Cathedralis praestabitur per Sextiarias, adeo ut Capitulares teneantur, persoluta in Choro Hora Tertiae, assistere Missae Conventuali. In Quadragesima vero, et Vigiliis, in quibus duae Missae celebrandae veniunt, teneantur etiam persolvere in Choro tam Sextae quam Nonae Horas.

II. In Dominicis vero intra hos sex Menses occurrentibus teneantur integrum Officium in choro persolvere, ac sine interruptione Missam Conventualem celebrare, iterato ad Cathedralem accedentes hora consueta Vesperis cum Completorio satisfacturi.

III. In Festis autem solemnioribus, nimirum: omn. Sanctorum, Conceptionis B. M. V., Nativitatis, Circumcisionis, et Epiphaniae Domini, nec non Purificationis, Annuntiationis Deiparae, et in Festo S. Josephi Sponsi, integrum Capitulum teneatur ad Chorale servitium statis a Rubricis Horis a primis Vesperis incl. ad Completorium insequentis diei.

IV. Idem observandum, et omnino exequendum per integram majorem Hebdomadam, ac in die Paschatis, et duobus insequentibus Feriis.

V. In reliquis vero mensibus servitium Chorale praestabitur pariter per Sextiarias more consueto; verum in Dominicis et Festis tum I., tum II. cl., et per integram Octavam SSmi. Corporis Christi, singuli de Choro integrum servitium praestare cogantur statutis a Rubricis temporibus et horis.

VI. Tandem, ut omnis via praeccludatur dissentionibus, quae forte oriri possent ex imminutione servitii tempore hyemali, nimirum per sex enunciatos menses, nec minima omnino fiat variatio quoad Praebendas et Puncta-

turas: satis enim obeunda tunc temporis incommoda suppleant Choralis servitii imminutioni.

Atque ita rescripserunt, sanxerunt, ac quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus, in posterum strictim servandum esse mandarunt. n. 4816. Die 23. Septbr. 1837.

Quum Rmus. Cameracen. Ep. S. R. C. enixe rogavit, ut declarare dignaretur: Utrum Canonicis prout a tempore Concordatus 1801 in Galliis instituti sunt, incumbit obligatio non tantum assistendi in Choro celebrationi Divinarum Laudum, prout in respectivis Capitulis est instituta, sed etiam cantandi Horas Canonicas in Choro, ita ut Canonicus in Galliis assistens quidem in Choro, sed non decantans publicas preces canonicas peccet mortaliter, et teneatur ad restitutionem partis fructuum omissioni correspondentis? Emus. et Rmus. D. Cardinalis Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarius, et S. eidem R. C. Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a SSmo. D. N. Gregorio Papa XVI. tributarum rescribi mandavit: „Canonicum in casu juxta alias decreta obligationi non satisfacere.“ n. 4916 die 22. Maii 1841.

13) Obligatio Canonic. in festis abrogatis.

ORITAN.

Dum s. m. Pius Papa VII. pro Regno utriusque Siciliae sub die 10. April. 1818 contraxit numerum Festorum sub utroque praeepto servandorum edixit, ut quoad Eccl. ritum, nimirum quoad Officia, Missas et Vigiliis eadem Sanctorum et Solemnitatum Festa abrogata, ut antea servarentur, siquidem reductionis causa unica fuit exemptio Fidelium ab utroque praeepto servando. Verum quum interdum eadem abrogata

Festa incidant in Dominicis per Annum privilegiatis, vel cum Festis mobilibus concurrant, ac proinde ex Rubricarum praescripto eorum Officia sint transferenda, non una est Cleri Oritani sententia circa Chorale servitium a Capitularibus praestandum, ac proinde S. R. C. sequens quaestio proposita fuit pro opportuna declaratione, nimirum: „An ob occurrentiam Dom. privil. vel alterius solemnitatis majoris ritus, vel dignitatis, translatis ad aliam diem Officiis Festorum abrogatorum, in die repositionis Clerus adigatur Choro interesse, sicut in diebus propriis, ut supra impeditis, quibus reapse interest, quamvis ex alia causa?“ Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes in Ordinario Coetu hodierna die coadunata, audita a subscripto Secretario fideli relatione, ac singulis relationum momenti sedulo perpensis, declarandum censuit: Clerum ad iteratam Chori assistentiam ex solo titulo translationis Festorum abrogatorum nullatenus teneri, ac proinde rescripsit: „In die propria tantum.“ n. 5041. Die 23. Maji 1846.

14) Obligatio Presbyter. aliorum.

Sacerdotes, qui non sunt de gremio Capituli, nec ex certis vel incertis Cathedralis redditibus aliquid percipiunt, non posse cogi ad assistendum diebus festis omnibus horis canonicis. n. 1550 die 13. Jan. 1646.

Sacerdotem, qui non est de gremio Capituli, neque percipit fructus ex Cathedr. Ecclesia, ut assistat ecclesiasticis functionibus, hortandum, non autem cogendum esse. n. 1568 die 13. Sept. 1646.

Ad dubium: an parochi civitatis Terentini possint cogi ad deferendam Ecclesiam propriam praesertim in solemnibus et ad interessendum choro Cathedr.? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2222 ad 1 die 16. Junii 1663.